DISPUTATIO JURIDICA DE JUDICIO BANNITORIO, APUD NOS DIE...

Heinrich Meier, Conrad Coch, Valenti Gonzaga

Digitized by Google

Digitized by Google

I. N. D. N. J. C.

SOlymannum Turcarum qvondam Imperatorem, & ingenii acumine & rerum geſtarum magnitudine ſatis inſignem, a primario ſuæ religionis antiſtite rogatum, ut nullam in imperio ſuo præter Mahumedanam, admitteret religionem, proſpiciendo forte tum ex palatio in hortum reſpondiſſe ferunt: *Quemadmodum in horto varietas herbarum atqve florum, nihil obeſt, ſed mirifice oculos & ſenſus recreat: ſic in imperio meo diverſa fides & religio potius uſui, qvam oneri mihi eſt, ſi modo pacate vivant & in aliis rebus politicis mandatis meis pareant. Camer. hor. ſubciſ. c. 58. p. 272. Chokier. l. 2. Rer. polit. diſcurſ. 21.* Qvanqvam autem hujus a vera religione alieni Imperatoris de pluribus in imperio aliqvo admittendis religionibus judicium, utpote qvod amplificandis potius, qvam meliorandis ditionibus deſtinatum eſt, ne hæreſes firmiter jam implantatas a noviter demũ implantandis ſat clare ſeparat, noſtrum non faciemus: tamen imperii alicujus cum horto, & in imperio illo viventium cum floribus atqve herbis horti comparationem ſat judicio ſe prolatam autumamus. Atqve ut ſilentio prætereamus hortum ipſum integrum, & flores ac herbas tantum inde decerpamus; cernimus integra qvoqve regna floribus ſe per inſignia ſua comparare; uti roſæ Anglicanum, lilia Gallicanum regnum denotant; unde & Philippus Valeſius,

ex fratre Philippi Pulchri nepos, adverſus Eduardum II. Regem Angliæ, ex filia Philippi Pulchri Regis Galliæ nepotem, adaſſerendum ſibi regnum adjuvatus eſt dicto myſtico: *Lilia agri neqve laborant, neqve nent. Wiſſemb. ad Inſtit. diſp. 30. n. 7. Intereſt & Max. des Princ. pag. m. 105.* Præſertim vero ſubditi rempublicam componentes cum nulla alia re melius conferri poſſunt, qvam cum plantis horto, ſive eas ut frugiferas enutriendas, ſive ut noxias exſtirpandas ſibi qvis proponat. Ut enim diligens hortulanus plantas frugiferas enutrit & circumſepit, & nulli parcit labori, ut illas ab interitu præſervet; e contra vero noxias plantas exſtirpat & ſteriles evellit, ne plantæ frugiferæ ab illis obruantur; ſic bonus Princeps, qvandoqvidem alii virtutibus decorati præ aliis eminent

Qvantum lenta ſolent inter viburna cupreſſi,

alii autem nocumento potius ſunt, & ut

Infelix lolium & ſteriles dominantur avena,

bonus tuetur ac fovet; malos vero condignis afficit ſuppliciis & variis modis ac mediis exſtirpat. In eum finem, *apud Boccal. ragguagl. di Parnaſſ. 16. Apollo* conceſſit imperantibus duo mirabilia inſtrumenta, tubas ſcilicet & tympana, ad qvorum ſonum noxiæ plantæ pravorum & otioſorum hominum magna cum lætitia ſua ſponte, ex horto patriæ, cui plus nocent, qvam proſunt, diſcendunt: qvanqvam tubæ & tympana ea ſint itidem inſtrumenta, qvibus accedente vi nobiliſſimarū plantarum, imeminentes ſæpe ab extrinſeco tempeſtates ac incendia arcentur. Similiter ut omne reip. noxium exſtirparetur, veteres introduxere Oſtraciſmum aut Petalismum, qvo ii cogebantur abeſſe ab urbe per decennium, qvorum potentia & gratia & opes ſuſpectæ erant, *Mart. in Lexic. Jurid. h. v. Beſold. Synopſ. polit. l. 1. c. 8. n. 7. & Calvin. in Lexic. Jurid. h. v.* ne vitia ſub virtutis ſchemate latentia reipublicæ eſſent fatalia, & nimia alicujus magnitudo libertatem cæterorum imminueret. *Qvo ſenſu Catulus de Pompejo dixit: eſſe qvidem virum excellentem & optime de Republica meritum, ſed jam nimium liberæ civitati.* Qvin & in mandatis principium fuit, *ut curaret*

Digitized by Google

raret is, qvi provinciæ præeſt, malis hominibus provinciam purgare. l. præſes provinciæ 3. ff. de off. Præſid. Romani, qvi crudele eſſe putabant civem Romanum ultimo ſupplicio affici *Cæſ. orat. apud. Saluſt. in bell. Catalin* adinvenere aqvæ & ignis interdictionem: & ita nec ſcelera relinqvebantur impunita, nec inſtitutum majorum violabatur: aqva enim & igne fontibus interdici cœptum eſt, ut his duobus tanqvam vitæ humanæ præſidiis fontes deſtituti in exilium ſuapte proficiſci cogerentur. *Vinn. ad §. 2. n. 1. Inſtit. de Capit. demin. Calv. in Lexic. Jurid. in voc. deportat.* Et eo ſpectat deniqve Judicium qvoqve Bannitorium, qvod Germanice appellatur die Beſchreyung eines Ubelthäters/ qvo juxta morem hic Bremæ receptum, (nam de eo nobis præcipue erit) poſtqvam aliqvis occiſus invenitur, mortuum ejus cadaver, anteqvam ſepulturæ mandatur, in locum publicum conſuetum portatur, vulnus a conſuetis itidem publicis huic actui deſtinatis perſonis inſpicitur, ſarcophagus poſt gladio evaginato percutitur & reus terribili cum clamore bannitur. Hujus judicii gravitas & materiæ dignitas me impulerunt, ut Deo clementer adjuvante, hac diſputatione valedictoria, in ejus naturam inqvirere pro ſtudiorum viribus conaturus ſim, initium a notatione banni (cum judicii natales ſatis ſint cogniti) facturus.

I.

Bannum igitur Neoteticum & nuper inventum vocabulum eſt, ſed res antiqviſſima, uti cum *Oldendorpio ait Calvin. in Lex. Jurid. V. Bannum.* Hinc non Latinum ſed barbarum vocabulum eſſe autumat *Gail. l. 2. c. 1. n 1. de PP. Martinius in Lexic. Etymo. voce bannus*, hoc vocabulum aſſerit eſſe Germanicum. Multorum vero judicio eſt dictio Italica. *Carpzov. part. 3. crim. q. 140. n. 8.* Deducunt banni vocem alii a Vandalico verbo Banner, qvod vexillum denotat. *Webn. in voc.* Ban. *Gail. d. l. & Chockier l. 2. rer. polit. diſcurſ. 68.* qvo ſenſu *Procopius l. 4. bell. Perſ.* Banniphorum dicit ſigniferum; cujus derivationis cauſa eſt, qvod vexillis ſoleamus hoſtes perſeqvi, & banniti habeantur pro hoſtibus. *Albert.*

Digitized by Google

bert. de Roſat. in diction. & Nell. in tract. de Bannit. in prim. part. 2. temp. q. 5. aut qvod Vandali ſeriis actionibus & rebus vexilli ceremoniam adhibere conſueverint; ut teſtatur *Gail. d. l. n. 2.* Tum etiam dicti authores derivant bannum a Germanico vocabulo Baan/ qvod viam publicam ſignificat & judicium criminale, unde Blutbahn/ ſive qvod bannitis interdictus ſit publicarum viarum uſus, ſive qvod in judicio criminali plectendi ſint. *Chockier d. l.* & hanc derivationem approbat. *Carpz. part. 3. crim. quaſt. 140. n. 10. & hic num. 8. citat.* Baldum, qvi derivat a bono publico, qvaſi bannum ſit dejectio vel excluſio a bono publico, hoc eſt, a jure privilegiis, ſtatutis & immunitatibus ejus civitatis, a qva bannitur. Germanice vocatur die acht/ forte qvod magni debeat æſtimari unde in Jure Saxonico ideo ſic dicitur daß man das Reich achten ſoll. *Gloſſ. art. 17. l. 3. ſpecul. Saxon.* Male autem Epiſcopus Hildesheimenſis, hoc banum (die acht) irriſit, & aliter explicavit dicendo acht und aber acht ſeynd ſechszehen/ unde & a Carolo V. Imper. proſcriptus & bonis omnibus exutus eſt. *Horn. Orb. polit. voc. Hildesheim* Beſchreyung/ a clamore bannitorio dicitur.

II.

Notationem excipit homonymia & illic *Cujacius in præfat. de Feudis*, ſcribit, antiqvitus fuiſſe Bannum nomen generale, qvo ſignificaretur edictum ſeu citatio. Cœterum in legibus Longebardorum bannum ſolidorum 60, vel totidem ictuum pœnam ſignifiaat. *Calv. in Lex. Jur. voc. Bannum.* Qvibusdam vero in locis ad bellum a Principe vocati vocabantur banniti; Is vero qvi in hoſtem a Principe bannitus fuerat & venire contempſerat, tenebatur perſolvere Heribannum, id eſt vectigal pœnæ cauſa *Calvin. d. l. Webn. voce* Bann. Exinde Galli utuntur etiamnum vocibus Ban & Arriciban in publica citatione Nobilium, qva Nobiles (præſertim ſi territorium in periculum adducatur) a Rege publice citantur, ut cum ipſo adverſus hoſtes patriam infeſtantes, in aciem deſcendant: & hanc convocationem Nobili-

um

Digitized by Google

um etiam eſſe factam a præſenti Rege Galliarum Ludov. 14. nuperrime in novellis legimus. Apud Francos olim regale pœnarum atqve mulctarum, Bannus regius ſeu dominicus appellatus fuit. *Lehm. 2. c. 4. ac l. 4. c. 22.* Fit & mentio Banni in jure Canonico *in c. felicis 5. de pœn. in 6.* & illo jure banna dicuntur trinæ illæ proclamationes, ſeu denunciationes matrimonii, qvæ in Eccleſiis e ſuggeſtu eduntur & ſine qvibus matrimonia clandeſtina dicuntur *c. cum in tua 6. de ſponſ. cap. fin. qvi matrim. accuſ. poſſ. & c. fin. de clandeſtin. deſponſ.* Budæus, propoſitæ nobis materiæ convenienter, *Bannum* Latine ſignificare proſcriptionem ſtatuit, & qvod banniti dicantur proſcripti, id eſt echter/ qvam derivationem Germanicam a Græco verbo ἐχθρός, hoc eſt, hoſtis, inimicus, nonnulli derivatam exiſtimant, qvia in bannum declarati cives eſſe deſinunt & hoſtes efficiuntur, ut infra explic. *Gail. d. l. n. 21. Carpzov. p. 3. crim. qvæſt. 140. n. 12.* Sed nos potius a Germanica voce Acht Echter derivamus.

III.

Hoc Judicium Bannitoriũ, ut ad Synonymiã pergamꝰ, vocatur etiam citatio cum banno, bannimentum, Germanice Achtgericht/ Beſchreyen des Ubelthäters/ Gerufft/ Zetter-Geſchrey/ clamor ille violentiæ. *Schott. c. 3. n. 5. p. 66. de ſing. in Germ. Jurib.* Nonnullis vero etiam dicitur eine Güdinge id eſt Judicium Criminale (forſitan a voce Gedinge/ qvod in jure Saxonico judicium vocatur. *Specul. Saxon. l. 1. art. 53.* unde dingpflichtich) ſive ein Bluht-oder Nothgerichte/ *Aſſert. Libert. Reip. Brem p. 697. & 700. Carpz. p. 3. crim. q. 136. n. 3.* appellat hoc Judicium Bannitorum. Daß hoch nothpeinliche Halßgerichte. Et de jure Saxonico ſimpliciter etiam appellatur das peinliche Gerichte. *Carpzov. d. l. num 60.* A nonnullis appellatur qvoqve Die Mordacht. *Struv. in Syntagm. Jur. civ. exercit. 49. §. 97.* Nos judicii Bannitorii vocabulum cum *Scottelio De ſingul. in Germ. Jurib. d. l.* retinuimus.

IV.

Definitur, ſeu Juridice deſcribitur bannitorium judicium, qvod

qvod ſit actus ſolennis, qvo reus fugitivus ſeu latitans ob delictum capitale, authoritate judicis competentis, publice a prcone (den Blutſchreyer) citatur & ex territorio bannitur.

V.

Originem hujus judicii ſi indagemus (qvod tamen admodum neceſſarium & utile *Gloſſ. ad l. 2 ff. de O. I.*) invenimus e longinqvo hujus veſtigia & ſimilitudinem qvandam in ſacris ipſis; ubi Deus T. O. M. populo ſuo Iſraelitico præſcribit modum certum expiationis cædis ab authore incerto commiſſæ. Si enim qvis inveniebatur confoſſus in terra, qvam Deus populo ſuo promiſerat, nec cognitus erat, qvi percuſſerat, Deus conſtituit: ut Seniores urbis illius, qvæ proxima confoſſo iſti erat, mactarent vitulam, qvæ non traxerat jugum, in vallem horridam, in qva nihil colebatur, nihil ſeminabatur, his additis: *Sacerdotes filii Levi, omnesqve ſeniores illius civitatis, lavabunt manus ſuas ſuper vitulam decollatam in ea valle, & proteſtantes dicent: manus noſtræ non effuderunt ſangvinem hunc & oculi noſtri effundentem non viderunt:* & ſic expiabitur reatus illius ſangvinis. *Deuter. 21. a vſ. 1. uſqve ad vſ. 9.* Si vero propius aſpectare cupimus originem hujus judicii, occurrit nobis, qvod legibus Longobardorum conceſſa fuerit proximis agnatis facultas vindicandi necem defuncti, ſub certa aliqva pœna. *[illegible] in Comment. ad Weſ. tit. de SCto. Syllan.* Hinc probabiliter deduci poſſet, qvod proximi agnati, ne incurrerent in pœnam hac lege comprehenſam, inſtituerint aliqvod judicium adverſus reum, ſi poſt commiſſum delictum fugerit, ut ipſi immunes evaderent ab imputatione omiſſæ vindicationis, & qvod inde tractu temporis noſtrum judicium bannitorium formatum fuerit. Sed cum & hæc deductio intra probabilitatis terminos verſetur, nos eam intra illos terminos relinqvimus. Hoc interim veriſſimum eſt judicium hoc bannitorium moribus ſat antiqvis, ut arguit vox *Joduth*, de qva infra, in Germaniam introductum fuiſſe cum introductionem ejus a certa aliqva Lege primum factam, non reperiamus, & ipſum Jus Saxonicum

primo

Digitized by Google

primo moribus ſit introductum, *Schulz. Synopſ. Inſtit. prolegom.* Ita colligit Schottel. cum Tacitus mentionem faciat de Germanis veteribus, illos crebras, ut inter vinolentos, rixas cæde & vulneribus tranſigere ſolitos fuiſſe: hinc ut etiam pœnæ executio magis reqvireretur ad compeſcenda vitia, reo incerto exiſtente introductum fuiſſe jus feretri ſeu ſandapilæ (Daß Baar Recht/ weil die verdächtige Perſohnen über die Bahr geführet/ darauff der Todte lieget/ und dabey ihres Verdachts und der Miſſethat ernſtlich erinnert werden/ und müſſen die herzugebrachte verdächtige Perſohnen/ ihre Finger auff den Nabell/ und auff die Wunde des Entleibten legen/ und gewiſſe Worte nachſprechen: Zu verſuchen ob man/ſo die berührte Wunde ſcheumet/ bebet oder blutet/den rechten Thäter/ mittels ſolcher wunderbarlichen Anzeigung offenbahr machen könne. *Schottel. de ſingul. in Germ. jurib. c. 3. n. 2.*) reo vero certo, ſed fugienti judicium bannitorium conſtitutum. *Schott. d. l. n. 5.* Modus igitur procedendi contra abſentes, per judicium bannitorium, non jure Juſtinianæo eſt receptus, ſed conſvetudine: uti inſuper hoc probatur ex O. C. art. 87. Mit dem Beſchreyen der Ubelthätern ſoll es im ſelben Stück auff Gegenwärtigkeit und Begehr des Anklägers nach jedes Gerichts gute Gewohnheit gehalten werden: nec tantum in foro Saxonico ſed etiam in aliis Imperii partibus hic modus viget *Brunneman. Proc. Inq. c. 8. m. 6. num. 26. Carpzov. d. l. q. 140. n. 7. Webner. voc.* Achtgericht. Verum enim qvamvis hujusmodi proceſſum ac formationem judicii criminalis Bannitorii mores Germanorum primo introduxerint, attamen acceſſit poſtea authoritas Carol. V. hoc judicium diſerte confirmantis *in Ord. Crim. art. 82. usqve ad art. 88.* & præſertim *d. art. 87.*

VI.

Licet igitur hoc judicium moribus introductum ſit; attamen nullius foret momenti, ſi mos iſte non eſſet ſolennis. In proceſſibus enim cauſarum criminalium ordinariis hoc ſpeciale habetur, ut iis haudqvaqvam ſit locus, niſi more ſolenni judici-

Digitized by Google

um criminale fuerit conſtitutum atqve formatum *Carpz. d. l. 7. 136 n. 95.* Solennitates vero hujus judicii mire variant ſecundum conſvetudines cujuscunqve judicii & loci:hinc & Imperat. Carol. V. *in Nemeſ. Crimin. d. art. 87.* conſtitutionem hujus judicii & ſolennitates conformat moribus cujuscunqve regionis. Qvandoqvidem igitur,qvi hoc judicium depingere juxta mores cujusqve leci conaretur, grande opus & non paucarum pagellarum aggrederetur: pro inſtituti ratione deſcribam tantum conſtitutionem hujus judicii, prout illud eſt in foro Saxonico & præſertim in noſtra Rep. Bremenſi receptum.

VII.

Solenne igitur hoc judicium eſſentiale ſuum accipit partim a perſonis conſtituentibus, partim ab hujus judicii aliis neceſſariis reqviſitis, partim vero etiam a certis ſolennitatibus, qvæ ad conſtitutionem hujus adhibentur. Conſtituunt vero principaliter hoc judicium non Status tantum imperii, uti viſum fuit non nemini, ſed permiſſum eſt itidem illud judicibus aliis, qvi merum habent imperium (id eſt, gladii poteſtatem, ad animadvertendum in facinoroſos *l. imperium 3. ff. de jurisd.*) *Mev. ad Jus Lubec. l. 4. t. 17. art. 1. n. 23.* Perſonas vero, qvæ ad hoc judicium adhibentur, reperimus eſſe competentem judicem cum ſuis aſſeſſoribus ſeu ſcabinis; & ſcabinorum numerum in formando judicio criminali ad minimum poſtulat *ordinat. crimin. art. 84.* ſeptenarium usqve octonarium. Hunc vero numerum non eſſe de eſſentia hujus judicii teſtatur *Matth. Stephan. in not. ad d. art.* qvod & experientia ſatis comprobat; unde & in noſtra Rep. cernimus hoc judicium conſtituere præfectum urbis judicis inſtar et duos ſenatores. *Carpzovius d. q. 136. l. n. 12.* ad minimum tres reqvirit, qvi cum judice aſſidere debeant: rationem addit, qvia interrogationes & reſponſiones ab uno vel duobus vix commode fieri poſſint. Sed tamen Numerus Aſſeſſorum an par vel impar ſit, non eſt de eſſentia hujus judicii: qvanqvam moribus, ſc. Saxonicis, introductum eſſe, ut impar Scabinorum ſit nume-

numerus, teſtetur *Carpz. d. l n. 13.* Porro Judici & Aſſeſſoribus aſſociandus eſt Notarius, ſive der Gerichtſchreiber qvi hic apud nos nomen eines Blutſchreibers ſortitur; & ei incumbit curare, ut omnia diligenter regiſtrentur: deinde reqviritur executor der Blutſchreyer/ qvi clamorem violentiæ inſtituit, vocatur etiam der Frohnbote/ der heilige Bohte/ der Buttel qvi juxta gloſſam Speculi Saxonici vocatus eſt ſanctus, ob duas præcipue cauſas; primo qvia olim juravit in ſanctos, cum conſtitutus eſt, deinde qvia Dei vindex eſt. *Gloſſ. ad art. 53. l. 1. Specul. Saxon.* Conf. Goldaſti Reichſatz. Käiſ. und Königl. Land- und Lehn-Rechte c. 25. & 26. ubi hæc: Wann man ihn (den Frohnbotten kieſet/ ſo ſoll ihn der Richter nemen bey der Hand/ und ſoll ihn ſetzen auff einen Stuel/ und ein Kußen ſol darauff liegen und ſoll ihm die Heiligen auff den Schoß ſetzen/ und ſoll ſchweren daß er das Recht ſtärcke ꝛc. Bremæ Frohne eſt apparitor vel miniſter. Aſſ. Lib. Brem. pag. 761. & clamorem violentiæ inſtituit proximus occiſi cognatus ſive des Rathsdiener/ uti exſtat in *Aſſert. Libert. Reip. Brem. p. 701.* Poſtremo reqviritur ad hoc judicium conſtituendum accuſator, qvi qverelam inſtituit adverſus delinqventem fugientem, & hic poteſt eſſe der Gerichtsknecht/ ſive alia perſona Notarius: Bremæ is, qvi clamorem violentiæ inſtituit, perſona accuſatoris etiam fungitur.

VIII.

Jam ſi in cauſam impulſivam hujus judicii inqviremus, obvium qvidem erit, qvod de jure communi in criminalibus non poſſit contra abſentem procedi ad ſententiam definitivam, ita ut capitis pœna irrogetur *L. abſentem 5. de Pœnis L. abſentem 6. C. de accuſat. l. Divi 1. ff. de reqvir. reis. Clar. l. 5. §. fin. pract. cum q. 44. n. 2.* Ne tamen reus fugitivus plane impunitus evadat nec in fuga ſcelerati præſidium qværatur, pœna proſcriptionis & banni adverſus fugitivos fuit reperta. *Mev. ad Jus Lubec. l. 4. tit. 17. n. 1. Carpz. part. 3. crimin. q. 140. n. 13.* qvi addit qvod reus vel ob crimen perpetratum, vel ſi de eo non confeſſus aut convictus ſit, ob contumaciam in non comparendo coerceatur & in bannum declaretur atqve ex provincia proſcribatur & excommunicetur.

Sane judicium bannitorium a veteribus fuit introductum ad ſtab lendum ſuam jurisdictionem adverſus eluſores judicii,& ad contumaces & fugitivos tanto melius puniendos: juſtum ſiqvidem eſt, ut in eum jura inſurgant, qvi jus & judicem & partem eludit. *c. cordi 1. in fin. de appell. in 6.* Et omnibus magiſtratibus ſecundum jus poteſtatis ſuæ conceſſum eſt jurisdictionem ſuam defendere pœnali judicio. *l. ūnic. pr. ff. Si qvis jus dic. non obtemp.* Hinc & Imperator permiſit, contra abſentes & contumaces usqve ad relegationem procedere *d. l. 5. v. adverſus ff. de Pœnis.* Cum enim in homicidii crimine & aliis delictis gravioribus ultio differenda non ſit *l. non reis 18. C.* de *Pœnis.* qvis non videt noſtrum judicium merito a veteribus fuiſſe introductum, qvo adverſus delinqventes fugitivos ultio ſtatim poſſit inſtitui?

IX.

Inſtituitur vero hoc noſtrum judicium adverſus criminoſum fugientem: cum enim aditus ſuper hoc judex fuerit, cum clamore judiciario, faciet reqviri & citari reum prius qvam delictum pernoctetur, & tum in continenti proceditur ad bannum, ſeu proſcriptionem fugitivi contumacis ait. *Coler. Proc. Execut. p. 3. c. 3. n. 78.* qvod & probat textus *lib. 3. art. 9. §. fin. Specul. Saxon.* Kumpt der Echter hinweg/ man echtet ihm zu hand/ ſo das man ihm in der handhafften That geſehen und beſchryen hat mit Geruffte/ und man daß auch gezeugen mag. Cum igitur ſolum adverſus contumaciter abſentem in hoc judicio ad bannum ſeu proſcriptionem procedatur, haudqvaqvam hoc judicium cónſtitui ac haberi debet, ſi ſtatim reus, anteqvam crimen pernoctetur, captus & incarceratus fuerit. *Carpzov. part. 3. crimin. q. 130. n. 106.* Solummodo igitur proſcriptio ſtatuenda in fugitivos, qvi poſt perpetratum crimen aufugiunt aut latent, *Mev. ad Jus Lubec. l. 4. tit. 17. n. 3.* Fuga enim ad criminis probationem facit, ſi ratione criminis fiat. *Berlich. p. 1. concl 36. n 57.* & ergo merito tunc reo fugienti pœna banni infligitur, qvia ſi reus præſens

ad-

Digitized by Google

adeſſet, ultimum ſupplicium in eum foret ſtatuendum, & jam fugiens in ſuſpicionem ſaltem criminis commiſſi incurrit, etſi non tam apertum ſit, eum deliqviſſe: imo conſtituit Imper. qvod fugitivi, qvamvis innocentes inveniantur in eo crimine, propter qvod recepti ſunt in carcerem, tamen ſint puniendi. *L. in eos 13. ff. de cuſtod. & exhib. reor.*

X.

Reqviſita porro alia hujus judicii Saxo hæc proponit: I. Ut Cauſa ſit criminalis, de qva in hoc judicio agitur, *Mev. ad Jus Lubec. l. 4. t. 17. n. 5. Carpz. d. l. q. 140. n. 42. Dan. Moller. l. 2. Semeſtr. c. 24.* Nam in cauſa civili noſtrum judicium ceſſat. Hinc confundi non debet hoc judicium bannitorum cum banno Imperii, qvod ex duplici cauſa irrogatur, primo ob delictum fractæ pacis, ſecundo ob ſolam contumaciam in cauſis civilibus: ut puta ſi citatus non compareat, vel condemnatus judicatum non faciat, aut executorialibus mandatis non obtemperet. *Gail. de P. P. l. 2. c. 5. n. 2. Brunnem. Proceſſ. Inq. c. 8. n. 27. m. 6.* Judicium vero noſtrum Bannitorium hoc in paſſu totum alienum eſt a banno imperii: ſolum enim formatur ſuper cauſa criminali; uti comprobat etiam *art. 3. l. 5. Jur. Lubec.* In peinlichen Sachen die da gehen an Hals und Haut/ wird jemand flüchtig/ ſoll er vorfeſtet und friedloß geleget werden.

XI.

II. Reqviritur, ut reus in flagranti crimine ſit deprehenſus, ſeu in facto manuali, vel ad minimum qverela ſit inſtituta in continenti reo abſente, anteqvam crimen pernoctaretur. *Dn. Schottel. c. 3. p. 67. de ſing. in Germ. jurib. Webner. voce* Achtgericht/ *Carpzov. p. 3. crim. q. 136 n. 91.* Hic operæ pretium mihi eſſe videtur, ut explicem, qvid ſit crimen flagrans ſeu factum manuale, & qvid ſit in eo crimine deprehendi, & deniqve qvid ſit crimen pernoctatum? (1) Crimen flagrans ſeu factum manuale dicitur ſecundum Jus Saxonicum, qvod ſtatim, ſive anteqvam vigin-

Digitized by Google

ginti qvatuor horæ, a tempore læſionis ſunt præterlapſæ, ſive ab ipſa hora, in qva læſus diceſſit, ad ſcientiam judicis pervenit, & de qvo qverela in judicio eſt inſtituta. (2) In flagranti crimine ſeu facto manuali deprehendi vocatur, qvando reus deprehenditur in ipſo delicto vel fuga poſt delictum, prout eſt textus manifeſtus Weichbild *art. 114. & concordat.* Landrecht *l. 2. art. 35. in princ. Schottel. d. l. Color decis. 107. n. 7. Carpzov. d. l. a n. 91. usqve ad n. 97.* Fuga autem hic dicitur, qvæ intenditur toto illo tempore, qvo durat perſecutio facinoroſi latitantis aut fugientis, priusqvam ſe recipiat ad locum ſecuritatis. *Gloſſ. d. art. 114. Color. proceſſ. Execut. p. 3. c. 3. n. 73. Farinac. l. 1. t. 3. q. 21. n. 155. de Delict. & Pæn.* (3) Crimen pernoctatum dicitur, qvando a tempore commiſſi delicti & læſi morte, viginti qvatuor horæ (ſc. dies & nox) ſunt præterlapſæ *Carpz. d. l. n. 97.* Experientia hodierna teſtatur, qvod hoc ſecundum reqviſitum, de deprehenſione in flagranti crimine, non amplius ſit, ſaltem ubiqve, de conſtitutione hujus judicii; qvemadmodum cernimus Bremæ hoc judicium ceſſare, qvando reus in facto manuali deprehenditur. Et *Carpz. d. l. n. 96.* teſtatur, qvod hodierna fori Saxonici conſvetudo idipſum adeo immutaverit, ut judicio Bannitorio ſolummodo detur locus, ſi reus abſens fuerit.

XII.

III. Ante omnia conſtare debet notorie de corpore delicti commiſſi. *Color. decis. 108. n. 12. part. 1. Mev. ad Jus Lubec. l. 4. tit. 17. n. 10. Schottel. d. l. p. 67. Carpzov. part. 3. crim. q. 136. n. 98. q. 140. n. 49. Brunnem. Proceſſ. Inq. c. 8. n. 31. m. 6.* qvia pro non notoriis criminibus & cum non conſtat aliqvem eſſe occiſum, judicium bannitorium non habetur. *arg. l. cum aliter 1. §. item illud 24. ff. d. SCto Silan. & Claud. Schottel. d. l.* Delictum vero notorium in criminalibꝰ in ſpecie dicitur illud, qvod habet talẽ facti evidentiã, ut probabiliter negari non poſſit, & item illud, qvod aliqva tergiverſatione celari neqveat. *Farinac. l. 1. t. 3. q. 21. n. 40. de Delict. & Pæn. Clar. l. 5. ſentent. §. fin. q. 9. n. 2. Calvin. in Lexic. Jurid. voce. Notorium*

Digitized by Google

torium. Cum vero hoc judicio formato ſtatim adverſus reum executio intendatur de Jure Saxonico. *Carpz. d.l.* hinc etiam reqviritur, ut crimen ab hoc reo perpetratum ſit qvanqvam alias in notoriis judex usqve ad executionem procedere poſſit, juris ordine non ſervato *c. maniſ. 2. q. 1. Clar. d. l. n. 1. Farinac. d. l. n. 133.* Caveat igitur judex, ne alleſerat delictum notorum, cum non ſit; hinc ad notorium delictum inveſtigandum ipſi incumbit, ut ſuper delicto perpetrato informationes aſſumat, & diligenter exploret, Qvis qvid, ubi, qvibus auxiliis, cur, qvomodo, qvando delictum perpetratum ſit? Ideoqve vel ipſum cadaver occiſi (ut apud nos) vel ſignum aliqvod, veluti particula ex veſte occiſi hominis ſangvine con[illegible]ria, vulgo [illegible] in judicio producitur. *Color. p. 1. deciſ. 163. n. 7. Schottel. cap. 3. p.* [illegible] candum ſc. qvod delictum notorie ſit perpetratum. [illegible]dum inſuper, qvod ad hoc, ut crimen dicatur notorium, [illegible] etiam qvalitates deb[illegible] eſſe ſaltem præſumtive notoriæ [illegible] nulla defenſio aut [illegible] competat reo, qvo minus [illegible]dus ſit pœna homi[illegible] *[illegible] ſentent. 9. n.* [illegible] Cum enim nullum male[illegible] qvod non habeat aliqvas qvalitates & circumſtantias; [illegible] contra notorium delinqventem neceſſit procedi judicio [illegible] præſumtive ad minimum debet conſtare, non ſol[illegible] [illegible] notorie commiſiſſe delictum, ſed etiam qvod commiſſum delictum nullam habeat excuſationem, *Farin. d. l. n. 50.*

XIII.

IV. Crimen ad proſcriptionem irrogandam tale eſſe oportet, unde ultimum ſupplicium reis imponitur *Mev. ad Jus Lub. l. 4. tit. 17. n. 7. Schottel cap. 3. p. 68.* Weichbild *art. 38. Webn. voce* Achtgericht. *Brunnem. Proc. Inqviſ. c. 8. n. 31. m. 6. Color. deciſ. 108. n. 10. Carpz. part. 3. crimin. q. 136. n. 100.* Si enim læſio ſeu vulnus non per ſe ſed per accidens fuerit lethale, ſive ita comparatum, ut non neceſſario occiſi mortem ſecum ferret, ſed per incuriam & ignorantiam medicorum ſive per alios fortunæ caſus vulne-

vulneratus ſit mortuus; ſive qvod reus ſe tueri poſſit exceptio-
ne moderaminis inculpatæ tutelæ: uti ex his cauſis ordinaria
ultimi ſupplicii pœna reo dictari non poteſt, ita etiam judicium
bannitorium contra reum abſentem formari neqvit. Obſtat
qvidem *art. 67. l. 1. Spec. Saxon.* qvi aſſerit, qvod etiam proceſſus
Banni formari poſſit contra reum, dum modo accuſatio ullam
pœnam corporis afflictivam intendat: ſic enim d. articulus lo-
qvitur. *Pro alia qvalibet actione, niſi qva mortem vel membri amiſſio-
nem inferat, nullus proſcribatur:* attamen uſus & obſervantia fori
hactenus aliud docuit: banni ſcilicet proceſſum neqvaqvam in-
ſtituendum eſſe, niſi in iis cauſis atqve criminibus, qvæ pœnam
ultimi ſupplicii merentur. *Coler. d. l.*

XIV.

V. Reqviritur, ut judex certus ſit de criminis authore
ſeu delinqvente, vel ut plene ipſi notum ſit delictum a tali reo
commiſſum. *Farin. d. l. 1. tit. 3. q. 21. n. 135. Mev. ad Jus Lubecenſ. d. l.
n. 10. Schottel. d. l. Carpzov. p. 3. crimin. q. 136. n. 102.* Attamen ſi Rei
fugientis nomen a judice expiſcari non poteſt, ſufficit ſi modo
judex reum a forma & qvalitatibus, ſive ſecundum genus veſti-
menti deſcribere noverit & hoc approbat *Carpz. d. l.* atqve ita te-
ſtatur ante aliqvot annos Lipſiæ eſſe factum. Hic Bremæ ad for-
mandum judicium bannitorium, hoc reqviſitum neceſſario non
reqviritur, cum etiam proceſſus banni formetur & clamor vio-
lentiæ inſtituatur ſuper delictum perpetratum, licet plane igno-
retur a qvonam delictum commiſſum ſit: & ita ante aliqvot an-
nos formatum fuit hoc judicium ſuper occiſa qvadam vetula
Geſche mit der Kolten; diu enim ignorabatur rea, poſtea vero ap-
patebat delictum hoc commiſſum fuiſſe ab adoleſcentula qva-
dam Anne Tröckels/ qvæ etiam ea propter eſt de collata & rotæ
impoſita. VI. Reqviritur abſentia Rei fugitivi. *Carpz. d. l. n.
106. Schott. d. l.* Judicium enim bannitorium tantum formatur
adverſus abſentem, ut ſatis patet ex ſuperiori th. 12. Conſtitu-
itur vero etiam judicium criminale, ein hoch nothpeinlich Halß-
gerichte/

gerichte/ qvando reus eſt præſens, & ad mortem condemnatur, qvod tamen ex dictis valde differt ab hoc noſtro judicio criminali.

XV.

Sed nunc ut certas illas ſolennitates, qvæ ad formam hujus judicii ſpectant, explicem, ordo materiæ jubet. Itaqve judiciorum capitalium forma in eo conſiſtit. (1) ut die capitali, cum hora appropinqvat, qva hoc judicium formandum, ſignum tuba, ære vel campana detur, ut formatio hujus judicii omnibus innoteſcat. *Ordin. Crim. art. 82. & Stephan. ibid.* Qvemadmodum Argentinæ plurimis vicibus intra eam horam, qva judicium criminale ultimum reo capitali formatur, campana ſignum datur. (2) Judex & aſſeſſores in prætorio ſeu curia aut aula judicii præſentes mature adſint & ex conſvetudine judicis mandato ordine conſideant *art. d. & Stephan. ibid.* partim a ſiniſtra, partim vero a dextra. (3) Judex conſideat faciem tenens adverſus ortum ſolis, & pedum judiciale, gladiumve vagina exertum erectum dextra teneat, debitamqve præ ſe ferens authoritatem præſideat judicio tantiſper, donec qvæ ad actum reqviruntur, omnia rite peracta ſint. *d. artic. & Stephan. ibid.* ipſi vero a regione aſſidere debet notarius, ſeu tabellio curiæ, & annotare, qvæ peraguntur (4) qvando judicium ita occupatum a judice, ſcabinis, & notario, judex interrogat primum Scabinum a ſiniſtra ſedente, num congruum judicandi tempus ſit? *art. 59. l. 1. Spec. Sax.* Cui Scabinus reſpondet affirmative. *d. l.* (5) Judex poſtulat a ſecundo ſcabino a dextra ſedente, qvonammodo hoc judicium formare debeat? Cui ſcabinus reſpondet. Ihr ſolt gebieten Recht und verbieten Unrecht/ auch dings Unluſt. (*vid. gloſſ. ad d. artic.*) und das niemand für dieſes hochnothpeinliche Halsgerichte zu oder abtrette/ ſein ſelbſt oder eines andern Wort rede/ er thue es den mit des Gerichts Erlaubnüß nach peinlicher A[illegible] es gehe ihm ſonſt an ſein höchſtes Recht. his peractis judex ſecundum præſcriptam formam judicium conſtituit. (6) Interrogat ju-

dex tertium ſcabinum, qvi ipſi a dextra aſſidet his verbis. Herr Schöpfe / ich frage euch / ob ich des Durchleuchtigſten ꝛc. Hochnohtpeinliche Halßgerichte / einen jeden zu ſeinen Rechte gnugſahm geheget habe nach peinlicher Art. Adhæc reſpondet ſcabinus affirmative, hinc tenetur præco judicii jubente judice, vel ſi is non adeſt, judex ipſe proclamare, qvod judicium recte ſit conſtitutum; facta vero proclamatione judex pro competenti judice eſt habendus & non prius ut teſtatur, *Gloſſ. in fin. ad art. 59. l. 1. Spec. Saxon.* (7) Formato ita judicio accuſator legitime conſtitutus prodit & implorat judicem, ut ipſi concedat veniam loqvendi & accuſandi reum fugitivum. Conceſſa venia accuſator qverelam inſtituit adverſus reum & delicti perpetrati formam narrat, rogatqve, ut judex & ſcabini decernant, qvomodo criminalem ſuam accuſationem inſtituere debeat? Adhæc facta interrogatione a judice qvartus ſcabinus, qvi ſedet a ſiniſtra judicis, reſpondet: Peinlicher Ankläger ſoll fürkommen mit ausgezogner geſchliffner Wehre / dreyen peinlichen Anklagen und Zetergeſchrey oder Geruffte zweyer und eins / wie gebräuchlich iſt. (8) Hierauff bittet der Ankläger den Richter / ihme den Frohnen zu leihen / daß dieſer ſein geſchliffen Wehre ausziehe / und ihm Ankläger ſolche mit gewaffneter Hand vortrage / hoc conceſſo clamor violentiæ inſtituitur ternis vicibus hoc modo Zetter / (*Mart. in Lexic. Etymolog. voce ploro*, hoc ſignificare putat tremendum in modum, Zettern enim eſt tremere) über N. N. als Thäter / daß er N. N. vom Leben zum Tode gebracht. *Schottel. c. 3. p. 66. de ſing. in German. Jurib.* In libera vero Tremonienſi rep. in uſu eſt, ut lictor evaginato gladio ter funus feriens, increbret illud, Wapen / Wapen / Wapen. *Dn. Feldman. de Cadav. inſpic. c. 59. n. 14.* (9) Finito clamore violentiæ interrogat der Blutſchreyer judicem, num clamorem violentiæ legitime effecerit? Cui judex affirmative reſpondet. (10) Reo non apparente accuſator a judice contendit, ut reum proſcribat, qvod judex, facta interrogatione ſcabini, annuit; hinc a præcone ſeu judice publice proſcribitur. (11) Judex Scabinum, qvem ordo tangit, interrogat, num

judici-

Digitized by Google

judicium criminale ſit finiendum? Cui ſi Scabinus affirmative reſpondet. Judex more conſveto hoc judicium finit, in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti. Et hæc eſt formo judicii bannitorii, prout obtinet in Saxonia; de qva prolixe tractat *Carpz. p. 3. crim. q. 136. a n. 8. usqve ad n. 42. Chilian.* König *in proceſſ. ſuo ſub tit.* Wie der Richter ſein peinlich Halsgericht hegen ſoll. *Et Anomyn. qvi lam de Prax. Crimin. edit.* Altenburg.

XVI.

Forma vero hujus judicii qvomodo obtineat in noſtra Rep. Bremenſi, ſatis patet ex *Aſſert. Libert. Bremenſ. p. 700.* ubi formula pluribus reperitur. Ea autem præter exordum, judicii hujus aperturam; & epilogum, judicii concluſionem convenientem continentia: adjunctis fere ſemper circumſtantiis, Qvis, qvid, coram qvo, qvo jure, & qvomodo? exhibet 1. clamorem ipſum terribilem: ubi ſingulariter notanda formula: Tho Jodute aver N. welcker (ſi cognatus clamorem inſtituat) myn ſive (ſi apparitor) dit Fleſch vnd Bloed vam Levende tho Dode gebracht hefft. 2. bannitionem ſubſeqventem; ubi præcipue occurrit obſervandum, qvod maleficus debeat eſſe Echteloß/ Rechteloß/ Fredeloß/ des Könings Viend/ des Landes Schade/ Reſtringitur tamen bannus ita: dat de Fredeloſe Mann Frede ſchall hebben drey Dage in S. Peters Münſter/ und verſehen ſick denn/ wo he kan. 3. inſpectionem vulneris occiſi, in eo meliorem adhuc recordationem: uti latius ipſa formula hoc indicat, qvam hic inſerere nimis longum foret.

XVII.

Non inconveniens autem hóc in loco (nam formulam bannitionis ad locum de effectu remittimus) exiſtimamus, ſi horribilem iſtam exclamationem tho Jodutbe aver N. N. qvam ex interfecti perſona ordinarie magiſtratus ingeminat apparitor, hic explicemus. Hæc igitur phraſis tho Jodute legitur etiam in bibliorum verſione Saxonica. Qvod enim exſtat *Jerem. 12. v. 6*

Digitized by Google

Clamaverunt ad te plena voce: & veteres Saxonum explicaverunt, repen na myt vuller ſtimme/ *Lutherus* autem: ſchryen Zetter über dich/ Saxonica verſio recentior, qvæ Witebergæ exiit anno 1554. habet Schryen tho Jodute aber dy. Ex hiſce colligi poteſt, vocabulum Jodute eſſe exclamationem qvandam, qvæ apud veteres uſitata fuit, & ſignificare, plena voce clamare, ita ut id omnibus innoteſcat. Nonnulli exiſtimant per hanc phraſin, Deum gentilem invocatum fuiſſe, cum apud Ethnicos inter varia Mercurii nomina & Jodute fuerit *Martin in Lexic Etymol voce Teutates.* Qvidam volunt tho Jodute/ ſignificare, von GOtt ubte/ Tho enim ſignificare non ſolum zu ſed & von/ ut apparet ex diverſis familiis Hamburgenſibus, qvibus hæc particula apponitur; & Jod propter pronunciationis ſimilitudinem GOtt denotare: qvaſi reus a Dei gratia propter delictum excludatur. Alii referunt hoc vocabulum ad nomen Latinum adjutorium, tanqvam inde contractum ſit: deducentes id a trophæo qvodam Ludero Duce Saxon. Brunſvic. & Luneburg. erecto, in loco pugnæ prope Welpesholtz/ſylvam Helmeſtadienſi Academiæ vicinam, ubi victoriam ab Imperatore Henrico V. anno 1115. reportaverit. De qvo trophæo teſtatur *Henricus Bütingius in Chronicis Brunſvicenſibus*, daß es eine Seule geweſen/ darauff ein geharniſchter Mann geſtanden/ welcher gehabt in ſeiner Hand eine ſtattliche Streit-Kolbe mit ſtarcken Zacken/ und auff beiden Seiten Herr Luders Wapen/ nemblich einen ſpringenden weiſſen Hengſt/ im rothen freyen Felde. Hanc ſtatuam viri docti appellaverunt adjutorium; ruſtici vero, qvi hanc dictionem Latinam repetere volebant, id appellavere S. Jodute & cœperunt id velut, idolum venerari. *Crantz. in initio l. V. c. 36. Saxon. & Büting. d. l.* Deniqve nonnulli opinantur, & qvidem rectius, nomen Jodute ex Jo pleriſqve mortalibus uſitata exclamandi formula & ſummo Deo, qvem Cauci Duht nominabant, in unum primitus confluxiſſe vocabulum. *Martin. in Lexic. Etymol. voce Tadutes, Teutates & Ploro, qvi hac de re ſatis prolixe tractat. Schild. l. 2. de Caucis,* qvi etiam addit. *Paſſim hac vera religionis ſcintilla inter Ethnicos emicuit,*

ut

Digitized by Google

ut qvanqvam ſingularis Dei memoriam inter proſpera obliterarent, eundem tamen inter ambigua & inextricabilia cierent, qvaſi veritas ipſa cogente natura, ab invitis erumpere pectoribus amaret. Et ſane qvod particula talis ante prædictam ſtatuam fuerit adhibita teſtatur *ex Crantzio d. l. & Lindenbrog. in Chron. Car. M. p. 79. Dn. Winkelman. Notit. hiſtor. polit. veter. Saxon. Weſtphal. l. 3. c. 2. 21.* aſſerens præmemoratam ſtatuam a Saxonibus ſub Lothario duce in rei geſtæ & occiſorum Zeduht ſive Tiodut clamantium memoriam eſſe erectam. Hæc vero horribilis exclamatio & cœteræ ſolennitates, a veteribus huic judicio fuerunt applicatæ, ut, qvos non virtutis amor, vitiorum & flagitiorum turpitudo horribili ſaltem clamore demonſtrata, abſterreret. Adde *l. ſi qvis forte 6. §. ſi qvos 1. ff. de Pœnis l. bona fides 31. in fine princ. ff. de depoſ. & licet, pœna ad paucos, metus tamen ad plures perveniret l. ut unius 1. Cod. Repetund. l. Divus Hadrianus 6. in fin. ff. de cuſtod. & l. ſi pœna 20. ff. de Pœn.* Pœnarum enim finis præcipue duplex eſt: alter, ut reus puniatur; alter, ut cæteri exemplo deterreantur. Cœterum (ut paucis alia qvoqve verba vetuſtiora qvæ illic habentur, verbo attingamus, qvod Gůding ſic judicium præſertim criminale ſupra dictum eſt. Kampes pflegen patet ex Speculo Saxonico *l. 1. art. 62. & 63. ibiqve gl.* qvod ſit, an den Leibſprechen peinlich anklagen Sackewolde eſt ipſe reus principalis *gl. in. d. art. 62. & in art. 14. l. 3. Spec. Sax.* De S. Peters Munſter infra in contrariis.

XVIII.

Hoc judicium bannitorium cum non formetur, niſi adverſus eum, qvi tale crimen commiſit, propter qvod ultimum ſupplicium imponitur, confer *ſupra th. 16.* & hic Bremæ tantum propter homicidium: ſæpiſſime vero pro bannito apponi poſſit de vulneris inhabilitate ad occidendum, indeqve pœna homicidii non habeat locum, anteqvam conſtet mortuum ex vulnere diſceſſiſſe. *Steph. ad art. 47. Ordin. Crimin.* ut itaqve judici oſtendi poſſit, vulneratum ex vulnere infligentis periiſſe & ita reum ultimo ſupplicio ſubjugandum, ipſe judex tempore delicti perpe-

Digitized by Google

ati incontinenti cum duobus ſcabinis ſeu judicii adſeſſoribus .judicii ſcriba, & ad minimum cum uno, vel, ſi eorum copia haberi qveat, pluribus Doctoribus medicinæ ſeu chirurgis, cadaver inſpiciat, & in vulneris qvalitatem inqvirat. Medici vero & chirurgi prius jurare tenentur, *qvod in hac re, qvantum per experientiam artis didicerint & ſenſibus corporalibus deprehendere poſſint, nullius in commodum aut incommodum, nec ex livore & odio neqve etiam ob mercedem, favorem vel donum ſed tantum ad promovendam juſtitiam, uti rem ipſam reperiunt, veritatem dicere velint. Dn. Feldman. de Cadav inſpic. c. 51. n. 2.* Hi igitur diligentiſſime inſpiciant cadaver, & qvidem (1) Externe & ibi vulnus bene conſiderent (2) Vulneratam partem corporis ſecent & aperiant, & qvomodo læſio ſit perpetrata, vulneris item qvalitatem & locum cum omnibus ſuis circumſtantiis bene perpendant atqve omnia hæc exacte judici & ſcabinis oſtendant: opinionem qvoqve ſuam una cum chirurgis de vulneris lethalitate exprimant, & cauſas, qvare cenſeant vulnus eſſe lethale, adducant, ut hæc omnia exacte ad acta publica referri qveant. Hic Bremæ vero ad cadaver inſpiciendum a judice mittitur Reip. phyſicus una cum duobus chirurgis, qvi initio muneris ſuſcipiendi juramentum præſtiterunt. Poſtea tamen ut modo dictum, nihilominus in ipſo hoc judicio bannitorio ſarcophagus occiſi aperitur, & vulnus a Præfecto Urbis & duobus ei adjunctis ſenatoribus in meliorem rei memoriam iterum inſpicitur. Ut vero inſpectionem cadaveris hic fuſius explicem, oſtendendo, qvodnam vulnus ſit lethale vel non, mei inſtituti non eſt, & qvi hac de re aliqvid amplius deſiderat, evolvat *articul 147. 148. & 149. Ordinat. Crimin. & ibi Stephan. Zachiam. qvæſtion. medico-legal. l. 5. t. 2. q. 5. Fortuin. Felic. de Relation. Medic. leg. d. t. Farinac. part. 5. q. 127. n. 1. & ſeq. Clar. l. 5. §. Homicidium n. 42. & ſeq. Gail. l. 2. obſerv. 111. Mynſing. cent. 6. obſerv. 34. Carpzov. part. 1. Crim. q. 26. &c. & Dn. Feldman. tractatum; qvi non ita pridem impreſſus eſt, de cadav. inſpiciend. & alios.*

XIX.

Finis hujus judicii bannitorii eſt (1) ut judex conſcientiam ſuam purget

Digitized by Google

purget coram Deo & hominibus; Siqvidem ſangvis effuſus de terra ad cœlum clamat Gen. 4. vſ. 10. & ſi Judex non adminiſtrat juſtitiam, anima ipſius eſt pro anima nocentis *arg. 1. Reg. 20. v. 21.* Ita David homicidium Abneri a Joabo, perpetratum in Joabum ejusqve familiam cum horribili exſecratione derivat, ſe vero innocentem declarat. 2. Samuel. 3. v. 29. Nam ſi flagitia ſilentio prætermitterentur, qvid judex aliud aſſeqveretur, qvam ut bonos ad ſcelera invitaret, malos vero a malo ad pejora alliceret, & ita Deum iratum in ſe provocaret? 2. ut ulcus inemendabile qvoqvo modo poſſit, e corpore reip. excidatur. *Serpunt enim vitia & in proximum qvemqve tranſiliunt & contactu nocent. Senec. de tranq. anim. c. 7.* Punienda igitur vitia hominum, ut tranqvillitas reip. conſervetur, nec morboſa pecus totum corrumpat ovile. 3. ut cæteri exemplo pœnæ deterreantur. Hinc Deus *Deuter. 19. vſ. 19. & 20. ait. Reddes illi, ſicut fratri ſuo facere cogitavit, & auferes malum de medio tui, ut audientes cæteri timorem habeant & neqvaqvam talia audeant facere. Et Deuter. 13. vſ. 10. 11. & 12. Lapidibus obrutus necabitur &c. ut omnis Iſrael audiens timeat, & ne faciat qvippiam hujus ſimile.* Si igitur judex velit conſcientiam ſuam purgare & ſcelera vitioſorum emendare, recte hoc judicium criminale adverſus reum fugitivum conſtituit, ut inde appareat, qvod ipſe ſuum adimpleverit officium, & ut inde metus incutiatur cæteris, qvo ab iſtiusmodi vitiis deſiſtant: cum tam horribilia viderint, tam horribilia audiverint, qvibus ſimile patraturis ſimile absqve dubio ſit præſtitutum.

XX.

Deſcendamus nunc ad effectum hujus judicii, qvem præſertim ex formalibus banni hic reperimus eſſe qvintuplicem. Nam (1) bannitus fit Echteloß / hoc eſt, fama & exiſtimatione privatur. *Webner. voce* Echt und recht. & fit infamis *Color. p. 1. decif. 108. n. 53. & ſeq.* ita ut a nemine debeat æſtimari, qvaſi dicas echtloß / daß ihn niemand achten ſoll / ſed unusqvisqve conſortium ejus fugere & impiorum & ſceleratorum numero eum accen-

…aſcere, neqve urbe, domo, hoſpitio menſave recipere debeat, …qve tellus & pontus negetur, *Gail. de Pac. Publ. l. 2. c. 1. n. 25.* …c vocabulum de Jure Saxonico alias tria ſignificat: vocantur …im Echteloß (1) qvi illegitime ſunt procreati. (2) illi, qvi …idem legitime ſunt nati, ſed qvi a matrimonio contrahendo …nt prohibiti, qvo ſpectant illi qvi ſe Deo conſecarrunt, *c. virgi-…m 27. q. 1.* qvamvis ii potius Eheloß/ qvam Echteloß ſint dicen-…; nec non ii, qvi habentur indigni ad matrimonia contrahen-…, nempe hi, qvi ſcortati ſunt cum duabus ſororibus ſive cum …atre & filia; illi enim impoſterum matrimonia contrahere ne-qveunt. *c. qvidem. 32. q. 7.* (3) Hi vocantur echteloß/ qvi legiti-…e ſunt procreati & matrimonia contrahere poſſunt, attamen u-…ilitate matrimonii privantur, hoc eſt, nec heredes inſtituere a-…os, nec heredes ab aliis ipſi inſtitui poſſunt. *Vid. Gloſſ. ad art. … 1. l. 1. Spec. S.*

XXI.

II. Secundus effectus reum facit Rechteloß/ hoc eſt, omnibus iis, qvæ ſunt Juris Civilis, orbat. Hujus vero vocabuli, Rechteloß/ ſenſum triplicem invenimus: nam (1) vocantur rechteloß/ qvi in judiciis teſtimonia perhibere neqveunt *ut ff. de his qvi notantur infam. l. teſtimoniorum 1. & l. teſtium fides; ff de teſtibus.* tum qvi vice procuratoris in judicio fungi neqveunt, ut *c. omnipot. Deus 6. extra de accuſat.* (2) qvi bona vendere vel donare neqveunt. *§. maxima 1. Inſt. de Cap. Dim. & l. cum patrem. 2. C. de ſentent. pas. & rect.* (3) ſunt rechteloß/ & qvoad corpus, ut occidi qveant. *l. liberam. 1. C. qvando liceat unic. ſine ju. ſe vindic.* & qvoad bona, ut nullum heredem inſtituere qveant. *Vid. Gloſſ. Specul. Saxon. ad art. 51. l. 1.* Hujus vero vocabuli triplex ſenſus locum reperit in bannito ſimul; nam ille omnibus hiſce privatur, ita ut juramenta, obligationes & fœdera ipſum concernentia, invalida ſint ac mortificata *Dn. Blum. ſentent. Camer. t. 29 n. 109* imo nullas actiones inſtituere, & ne qvidem antea inſtitutas proſeqvi qveat. Judex enim ex ſuo officio, bannitum agere volentem a limine

judicii

judicii excludere debet, cum nulla ei competat actio & nemo ſine actione experiri poſſit. *l. ſi pupill. 6. §. videamus 12. ff. de negot. geſt. Gail. l. 2. c. 12. num. 11. & 13. de P. P.* Sed qværitur, Annon bannitus ſi in jus vocatus ſi ab alio tanqvam reus per procuratorem comparere & ſe defendere poſſit? Qvod affirmamus cum *Gail. d. l. n. 16.* ratio eſt, qvia judicium redditur etiam in invitum *in l. inter ſtipulant. 83. §. fin. ff. de V. O.* deinde qvia defenſio eſt juris naturalis, qvæ nemini ne diabolo qvidem deneganda *text. in clem. paſtor. 2. de ſentent. & re judic.* poſtremo citatus dicitur ad neceſſariam defenſionem venire, unde a limine judicii excludi ſaltem qvoad procuratorem non poteſt. *l. unius 18. §. cognitурum 9. ff. de quaſtion.*

XXII.

III. Tertius effectus, qvi cum tertia ſignificatione vocis Rechteloſ coincidit, hujus judicii eſt, qvod Bannius fiat Fredeloß: nempe de pace ponitur in guerram, hoc eſt, imposterum non amplius poteſt eſſe tutus, ſed inqvietationem ac capturam ſemper eum metuere oportet. *Carpz. p. 3. crimin. q. 140. n. 98.* banniti enim ubivis locorum capiuntur & nemo eos impune receptare debet. *Mev. ad Jus Lubec. l. 4. t. 17. art. 2. n. 9.* Hinc & magiſtratus vi hujus effectus, vel ex officio, bannitum ipſe omni via perſeqvitur, vel iis, qvorum intereſt, operam & auxilium præbet per literas reqviſitorias ad omnes, ubicunqve deprehendetur reus (qvos Steckbrieffe vocamus) qvibus poſt enarratam facti atqve proceſſus qvalitatem, rogantur loci magiſtratus & judices, ut reum capere, cuſtodire & crimen accuſaturis judiciale auxilium præbere velint. *Mev. ad Jus Lubec. l. 4. t. 17. artic. 1. in addit. ad n. 19.* Unde & in ſæpe citat. formula noſtræ civitatis dicitur: Dat de nechſte Frunde den Fredeloſen Mann ſchölen Verfolgen und ehne Kampes plegē.

XXIII.

IV. Declaratur bannitus des Königs Vient/ideſt, hoſtis Imperatoris. Nam antiqvis temporibus Imperator ſeſe etiam Regem appellabat. Ita in Goldaſti Reichsſatzungen in Keiſer Carols des

groſ-

Digitized by Google

..roſſen Conſtitution von Gerechtigkeiten und Vrieheiten der Frie-
..n: Wir Carel von Gottes Gnaden ein Römiſcher Könninck. item
.. Keiſer Otthonis Eyd/ den er Bapſt Johanni vor der Krönung
..at muſſen thun: Ich König Ottho thu verheiſſen und ſchweren ꝛc.
..odem recidit, dum declaratur reus des Landes Schade; qvam primum enim reus fugitivus in bannum declaratur, ſtatim civis ..jus civitatis & regionis eſſe deſinit, communisqve omnium ho..is tam Imperatoris, qvam civitatis efficitur *Gail. de P. P. l. 2. c. 1. .. 21.* & hanc eſſe communem ſententiam ſtatuit *Coraſ. conſ. 104. ..ol. 1. vſ. bis tamen. l. 1. clar. l. 5. §. Homicid. n. 57.* Scire autem oporet, duo genera hoſtium eſſe; qvidam hoſtes ſunt mere jure bel.. *l. hoſtes. 24 ff. de Capt. & poſtlim. revert.* Qvidam vero ſunt hoſtes propter delictum capitale, qvi decreto magiſtratus judicantur ..oſtes, & eo ſpectant, qvi hodie in Bannum declarantur. *Gail. de .. P. l. 2. c. 1 n. 22.* Sed cum bannitus dicatur hoſtis patriæ & civitatis, a qva proſcribitur, qværitur, An impune ab omnibus offendi & interfici poſſit? Reſpondetur, qvod ſecundum diſpoſitionem juris communis non poſſit, ſingulis enim neqvaqvam permittendum eſt, qvod per magiſtratum publice fieri debet. *l. ſingulis 176. ff. de R. J.* Et hæc concluſio maxima æqvitate nititur, ne ſc. homines ea ex cauſa inter ſe ipſos ſæviant & occaſio detur, reum potius ex privata vindicta interficiendi, qvam ex Zelo reip. *vid. Clar. d. l. n. 52. & ſeq. Carpz p. 3. crim. q. 140. n. 131. & ſeq.* Et licet Bannitus pœnam qvidem ultimi ſupplicii mereatur: attamen inde non inferendum, qvod hæc pœna infligi poſſit reo a qvolibet privato, cum nec is, qvi hominem noxium, in ipſa commiſſione delicti, interficit, pœna careat. *l. divus Hadrianus 15. ff. ad L. Pompej. de parricid. l.* Lege Cornelia *1. §. ultim. ff. ad L. Cornel. de ſicar. l. ſi adulterium 38. §.* Imperator *8. ff. de adulter. l. 4.* Grachus, *Cod. eod.* Et cum hoc noſtro Jure Civili congruere videtur Jus Patrium, ubi ſecundum ante dicta proximis cognatis conceditur delinqventem perſeqvi, und N. kampes plegen/ i. e. peinlich verfolgen. Poteſt tamen de jure ſtatutario licitum eſſe bannitum impune occidere, modo tale ſtatutum exſtet, qvo bannitus impune offendi & occidi poſſit; qvod ipſum tunc videtur introductum pro qviete communi,

ut

Digitized by Google

ut dicit *Bartol. in l. 2 n.1.C qvomodo liceat unic. ſine jud. vindic.*& vigore talis ſtatuti, interficiens etiam tutus eſt in foro conſcientiæ, modo interfecerit maleficum Zelo reip. Excipitur nihilominus filius, qvi patrem bannitum impune occidere non poteſt, niſi pater actualiter ſit hoſtis patriæ, ut hac de re prolixe diſputat. *Clar. d. l. vel ut Wiſſenbach ad ff. de religios. n. 25. diſtinguendum inter patrem, qvi contracto agmine hoſtili venit oppugnatum patriam, & patrem bannitum, cui nulla militum manus, nulla vires.* Ubi vero tale ſtatutum non invenitur, ibi nec licitum eſt bannitum occidere; & ſi is, qvi bannitum interfecerit, exiſtimaverit fuiſſe id licitum; pœnam tamen eſſe tum mitigandam ſtatuit. *Carpz. d. l. n. 143.* Juſta credulitas generaliter qvidem excuſat: attameu diſtinguendum cum *Baldo in l. plagii n. 2. C. ad leg. Fab. de plagiar.* inter delicta, in qvibus dolus eſt de ſubſtantia delicti, & in qvibus non eſt. Priori caſu delinqvens excuſatur, ſive cauſa ſit juſta ſive non. Poſteriori vero caſu ſi cauſa eſt injuſta, excuſatur qvidem de dolo non vero de culpa; ſi cauſa vero eſt juſta tunc & excuſatur de dolo & culpa. *Clar. l. 5. §. fin. q. 60. n. 22.*

XXIV.

Adjunctum hujus bannitorii judicii, & præſertim inſpectionis vulnerum qvandoqve ſolet eſſe, qvod ex cadavere ſangvis manet. Hinc qværitur: An cruentatio cadaveris ſit ſignum infallibile præſentiæ occiſoris, & contra aliqvem præſentium, in qvem maxime ſuſpicio poſſit cadere, deſumi qveat ſufficiens inde probatio ad torturam? Reſpondemus ad utrumqve negative; *non qvidem cruentationem aliqvando factam negamus, ne fidem viris doctisſimis ac magnæ authoritatis, qvi eam rem inſpexerunt, denegemus, ait Zachias Qvæſtion. Medic. Legal. l. 5 t. 2. q. 8 n. 16* Sed tamen ut infallibilem occiſoris præſentiam, & ſufficientem inde probationem ad torturam admittamus, hactenus perſuaderi non potuimus. Rationem vero negationis ponimus in eo: qvia hoc indicium fallax eſt, nulla certa ratione nititur: eſt enim occultum, nec cauſam habet cognitam, cum & ad innocentis occurſum effluere ſangvis poſſit, & ſæpe qvoqve deprehenſum, cadavera nihil ſignaſſe etiam præſente interfectore, imo e contra manaſſe ſangvinem ex

ulnere, præſente dilectiſſimo occiſi. Deinde tortura eſt actus raviſſimi præjudicii; ideo in tanta incertitudine ſanctius eſt *ocentem impunitum relinqvere, qvam innocentem condemnare. l. abſen- m 5. ff. de Pœnis.* Poſtremo, licet indicia ſint arbitraria, attamen a debent nobis eſſe certa ex aliqva extrinſeca & cognita præ- ımtione, ſed iſtud indicium nullo jure vel cauſa, qvæ juridice oncludat, nobis conſtat, neqve ex cauſa naturali nobis demon- rare poteſt, qvod ſit indicium infallibile præſentiæ occiſoris. leqve ergo & nos illud tale agnoſcere poſſumus. Affertur qvi- em qvædam antipathia & inimicitia inter cædentem & cæſi ca- aver, qvodqve aliqvid in corpore cadaveris adhuc ſit, qvod qva- homicidam perſeqvatur; ſed & hoc petit principium. Vox ſan- vinis Abelis, Deum ab ipſa humo inclamantis *Gen. 4. v. 10.* impro- ria locutione, atrocitatem criminis arguit. Allegatio miraculi eſt ruſtranea, ubi nulla promiſſionis adeſt fiducia. Cadavera mor- uorum a dæmonibus freqventari, & illinc cauſam cruentationis etere, eſt corpora pie mortuorum e manu Dei in manum dia- oli aſſerere & ea in dormitorio ſuo qvam maxime, contra ex- reſſas ſacras literas, inqvietare. Vide interim de hac materia arie differentes. *Farin. lib. 1. tit. 5. q. 52. num. 154. & ſeq. Carpz. p. 3. rimin. q. 122. n. 28. & ſeq. Treutler. volum. 2. diſp. 4. theſ. 7. lit. E. ibiqve Ba- hov. Stephan. ad art. 33 ordin. crimin. Dn. Feltman. de cadav. inſpic. c. 59.* qvi ſtatuit cruentationem cadaveris fieri ob calorem, qvi anteit utrefactionem cadaveris *Zachiam qvæſt. Med. Leg. l. 5. t. 2. q. 8.* qvi utat *n. 25. cum Platero cent poſth qvæſt. octav.* facillime cadavera cru- ntare ſi qvovis motu agitentur. *Wiſſenb. vol. 2. diſp. 37. num. 7. Dn. chottel. c. 3. p. 68. & ſeq. de ſing. & antiq. in Germ. Jurib. Chokier Rerum po- l. t. l. 2. diſcurſ. 40.*

XXV.

Affine huic noſtro judicio bannitorio eſt judicium banni- orium generale ſeu Imperii, qvod eſt judicialis cenſura, qva qvis ita ab Imperio Romano excluditur, ut a nemine in clientelam, fi- dem aut amicitiam recipi, ab omnibus vero impune tam in per- ona qvam in rebus offendi poſſit. *Gail. de P. P. l. 2. c. 1. n. 20. Ordin Ca- er. p. 2. t. 9.* §. So jemand. *Carpz. p. 3. crim. q. 140. n. 18. Webner, voce* Acht.

Cho-

Chokier.l.2.rer.polit diſc.68.Dn.Blum.Proc.Cam.t.29.n.79. A tribus vero modos hujus banni exerceri, in Imperio noſtro Romano-Germanico, reperimus. (1)Pœna banni infligitur delinqventibus a ſolo Imperatore & eo abſente a Rege Romano. (2) Hoc judicium exercetCamera Imperialis,& hujus banni effectus cum banni Imperatoris effectu coincidit. (3) Poteſtatem banniendi ſibi vendicat judicium, qvod eſt Rotvvilæ. *Conſ.Webn.d.l.& Carpz.d.l. n.19.& 20.*

XXVI.

Huic judicio bannitorio etiam affinis qvadantenus videtur, citatio illa, qvæ vocatur ad vallem Joſaphat; ut enim in noſtro judicio reus abſens publice,jubente judice,per vocem præconis citatur, & non comparente in bannum declaratur: Sic e contrario, citatione ad vallem Joſaphat, reus in juſtitia oppreſſus citat judicem coram juſto tribunali Dei ad dictatæ ſententiæ rationes reddendas, Deoqve ſuam cauſam commendat, ipſi hoc caſu vindictam tribuendo. Cum igitur a Reo talis citatio formatur, ſane caute hoc caſu judex agat & ſecum ſcrutetur, num forte præcipitanter nimis egerit,ne iramDei in ſe conciter& poſt hanc vitam rationes injuſtæ ſententiæ reddere teneatur. Sangvis enim hominis pretioſus eſt in oculis Domini. Si vero judex in conſcientia ſua tutus ſit, & nullum dubium de ſententiæ & facti æqvitate appareat, judex a juſtitiæ tramite per iſtiusmodi citationem ſe dimoveri non patiatur, cum, uti ait Baldus, non omnes, qvi moriuntur,ſint ſanctus Johannes Evangeliſta: nec ullus forte fur eſſet ſuſpendendus, ſi perjurio patibulum evitari poſſet, & deniqve juſte faciendo neminem metuere neceſſe ſit, cum Deus juſtitiæ præmia, non pœnam, præſtituerit.

XXVII.

Poſtremo conjuncta etiam eſt huic judicio, pœna annotationis,& poſt annum, confiſcationis bonorum in contumaciter abſentem. Reus enim de Jure Civili ad diem inſtituendæ actionis vocatꝰ,ſi copiã ſui non facit, annotatur.*l.Divi Severi 1.§.ſi autẽ 1.ff.de reqvir.vel abſent.damn.*Cumqve ita reus annotatus eſt, præſes provinciæ eum publicis edictis citat, ut innoteſcat ei, qvi annotatus eſt. *d.l.§.Præſides.2.* ut ita reo poteſtas ſit, ſe purgandi. *l. cum*

Digitized by Google

um abſenti 1. C. d. t. Si vero redierit & intra annum præſidem provinciæ adierit, & ſatis obtulerit, non eſt locus mandatis, ut bona fiſco vindicentur, nam & ſi intra annum mortuus ſit, criminis cauſa exſpirat bonaqve ejus ad ſucceſſores transmittuntur. *l. Divi Severi 1. § ſed & 4. ff. d. t.* Annus vero exinde computandus, ex qvo ea annotatio, qvæ vel edictio vel literis ad Magiſtratus datis, publice innotuit. *l. annus exinde 4. ff. d. t.* Si vero ex eo die, qvo reus fuit in judicio petitus, intra anni ſpatium noluerit adeſſe judicio, res ejus fiſco vindicantur, & ſi poſtea repertus innocens fuerit deprehenſus, ſeveriori ſententiæ ſubjungatur. *l. qvicunqve 2. C. d. t.* Hodie jure communi bona qvidem etiam annotantur, non tamen eum in finem, ut confiſcentur, ſed ut mediis vivendi deſtitutus cogatur comparere *Habn. ad Weſenb. tit. de reqvir. vel abſent. damn. Dn. Struv. in Syntagm. Juris civil. d. t.* In cujus annotationis locum ſucceſſiſſe hoc judicium bannitorium teſtatur *Habn. d. l.*

XXVIII.

Vidimus ita qvomodo hoc bannitorium judicium conſtituatur: reſtat ut ejus contraria nunc qvoqve attingamus. Ceſſat vero noſtrum judicium bannitorium Primo qvando reus deprehenditur anteqvam hoc judicium formetur. Qvandoqvidem enim illic reus præſens poteſt puniri, non opus eſt, ut de pœna in ipſum abſentem conſtituta diſpiciatur. Deinde ceſſat, ſi reus per defenſorem, exhibito tamen mandato, in judicio compareat, delictum confiteatur & ad defenſionem deducendam ſe offerat, ac ſalvum petat conductum: noſtrum enim judicum adverſus malitioſe abſentem locum ſibi vendicat, ceſſabit igitur hoc caſu, præſertim cum ex defenſione allegata dubius reddatur judex, num ad pœnam mortis devenire poſſit, nec ne? *Carpzovius p. 3. crim. q. 136. n. 107.* cum qvo convenit. *art. 87. ord. crim.* Wo aber der Beklagte unſchuldig erfunden wird/ alſo daß der Ankläger nicht den Rechten nach kommen wolte/und nicht deſtoweniger der Beklagte Rechts begehrte/ſo were ſolches Beſchreyen nicht noth. Et licet ſententia banni adverſus reum fugientem ſit pronunciata, attamen ſi proſcriptus innocentiam probare velit ab effectu banni

ſe

ſe liberare poteſt, per text. *in art. 4. l. 2. Spec. Saxon.* Wer ſich aus der Acht ziehen will dem ſoll der Richter Friede wircken/ vorzukommen: ob mans von ſeinentwegen begehrt. Et *Gloſſa ad hunc artic.* explicat hoc eo modo. *Si qvis putat ſe eſſe iniuſte proſcriptum, & ſe purgare velit, judex ſalvum conductum ipſi concedere debet.* Qvam primum enim reus literas ſalvi conductus accepit, & ad juramentum ſe obtulit, eo præſtito, banno ſtatim exemtus cenſetur, & proceſſus ordinarius inſtituendus. *Chil.* König. *in proceſſ. ſuo tit.* von der Acht. §. Wer ſich nun alſo. *Coler. deciſ. 108. n. 66.* Et ita qvoqve hic Bremæ obtinere, colligi poteſt. *ex Aſſert. Libert. Reip. Brem. p. 703. Verbis* Daſern aber der Thäter *&c.* Interceſſio vero cognatorum & propinqvorum tantum differt declarationem banni, non vero ideo plane omittitur, niſi caveant reum judicio ſiſti & formali proceſſu innocentiam rei deducere. *Carpz. p. 3. crim. q. 36. n. 112.*

XXIX.

Ad effectum banni qvaliter qvaliter ſuſpendendum deniqve ſpectat apertura aſylorum, ubi facinoroſi tuto degere poſſunt. Exprimitur id ipſum qvoqve in ſæpius allegata Bremæ recepta banniendi formula, in qva, ut ipſa verba ſonant: De fredeloſe Mann ſchall frede hebben drey Tage in S. Peters Münſter/ und vorſehen ſick den/ wo he kan: ideſt, Facinoroſus tutus ſit per triduum in æde D. Petri, & poſt ſibi proſpiciat, ut cunqve poterit. Appellatur ædes Baſilica (ut hoc obiter aſpergamus) S. Peters Münſter/ a monaſteres in pauciores ſyllabas contracto qvod nomen Baſilicæ, & Argentinæ etiamnum uſu freqventatur. Alias dicitur der Dohm vel a biß Dohm per ſyllabæ abjectionem, accelerandæ pronunciationis ergo, qvaſi plene dicas biß Dohmkercke; vel a Dominico, qvoniam Chriſtiani templa primum vocavere Dominica, & κυριαχὰ, unde Kirch und Kercke *Dn. Buſchius de Jur. Bon. Eccleſiaſt. pag. 12. & 13.* Ut vero e diverticulo in viam redeamus & aſyla adhuc pauciſſimis contemplemur, ea abſolute non poſſe reprobari docet 1. S. Scriptura *Exod. 21. v. 13. 14.* 2. Jus Civile *tt. C. de his qvi ad eccleſ. confug. tt. C. de his qvi ad ſtat. confug.* 3. Jus Canonicum *c. inter alia 6. & c. ult. Ext. de immun. eccleſ.* Nec tamen abſolute & poſſe probari, præſertim in favorem malitioſorum homicidarum

um latronum &c. demonſtrat ſatis accurate *Joan. Petr. de Ferrarius lapienſis*; ubi, *Ex his*, ait, *non poteſt improbabiliter qværi, An reus confugiens ad Eccleſiam (puta Homicida latro vel ſimilis) poſſit exinde extrahi, & realiter per judicem ſecularem citari? Et videtur qvod non per textum in l. 1. C. de his qvi ad Eccleſ. confug. cap. 1. X. de immunit. Eccleſ. & ſimilit. Ego dico (ſalva reverentia) qvod hæc jura ſint facta ſine ratione & ad beneplacitum: Imo & contra Jus Divinum, qvo cautum eſt, Domus mea domus orationis vocabitur vos autem feciſtis eam ſpeluncam latronum. Jerm. 17. v. 11. Confer. Dn. Mylerum ab* Ehrenbach *de Aſylorum Jure c. 5 per tot.*

Interim privilegiatæ iſtæ domus vix huic ſuo privilegio qvicqvam derogari patiuntur, qvanqvam noſtræ Ædis majoris privi- [illegible] hibiendi ex dictis ad triduum tantum [illegible] tum tantummodo locum habeat, [illegible] em veniat in Ampliſſimi Senatus [illegible] contulerit.

[illegible] XXX.

[illegible] Judicio Bannitorio pro temporis & [illegible] um ratione conſcribenda & publi- [illegible] co judicem, qvi in hoc & omni alio [illegible] unal conſcendit juſtitiæ, rogatum [illegible] ſibi ob oculos ponat, ſe non minus [illegible] ve ipſi majus judicium, qvam ſuis [illegible] rem libet hanc Diſſertationem fi- [illegible] niæ in Cœnobio Carthuſianorum ſe legiſſe & inde deſcripſiſſe refert *Reinking. de Regim. Secul. & Eccleſ. S. Imp. Rom. lib. [illegible]. c. 12 n. 42. eosqve ita repræſentat:*

Judicabit judices judex generalis,
Ibi nihil proderit dignitas Papalis,
Sive ſit Epiſcopus, ſive Cardinalis;
Reus condemnabitur, nec dicetur qvalis?
Ibi nihil proderit qvidqvam allegare,
Neqve qvid excipere, neqve Replicare
Neqve ad Apoſtolicam ſedem Appellare,
Neqve Codicillos Cæſaris citare.
Reus condemnabitur nec dicetur qvare?
Cogitate miſeri, qvid & qvales eſtis
Qvid in hoc judicio dicere poteſtis,
Hic non erit Codici locus, nec Digeſtis
Nec Decretalibus Papæ aut Regeſtis
Idem erit Dominus, Judex, Actor, Teſtis.

F I N I S.

Digitized by Google